

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Auaritia. Emblema LXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

consonibus esse notissimum contentent, nempe vt diligenti hac & bene prouida cautione propriam incertitiam tegant. At si ad Theologia reconditoris arcana deuenient dum sit, aperient statim, quid iuris habeant in ijs excutiendis: solertes se esse fingent, sudabunt nitendo, neq; tamen hilum proficient, & abundè fatagent, nihil agent tamen. Nec est quod Philosophiam commemorem. Illi enim nihil uesciunt, qui tam feruè per omnem disciplinarum circulum peruolitarunt, vt eorum iudicio vel ipse Plato cæcutiat, Aristoteles ineptiat, Cicero garrat, Aquinas deliret, & Peripatetici omnes miserabiliter errent. Adèd sunt in omni disciplinarum genere exercitatissimi, vt, contra Socratis institutum & mentem, hoc tantum sciant, quòd omnia sciant: quin potius hoc tantum nesciunt, quòd omnia ignorent. Ac si tam multa sciant, mirum est ma-

ximè, quòd se nesciunt. Si enim vel quadam ex parte sciret, quid illud sit, *γνῶσις σωτηρίας*, iam pridem perspexissent sapientiæ aditum cuius obuium & patentem esse non posse, nisi cùm aliquid se ignorare norit: aut si quid sciat, non oportere eo fastu intumescere, vt nullum alium scire meliùs posse & absolutius audeat existimare. Sed missos faciamus eiusmodi *πολυσφάγγονας*, vereor enim ne vehementius in rei literariæ ardelliones inuehar, & specialius id conferre videat in Sophistas quosdam iactabundos, nihilq; nõ tentantes: quòd quidem tamen in genere video intelligi de ijs posse, qui suam operam & studium collocant in varijs & multiplicibus vno eodem que tempore tentatis negotijs, quæ certè aggredi possunt illi satis audacter & anxie, perficere verò constanter minime possunt.

Auaritia.

EMBLEMA LXXXV.



HEV miser in medijs sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomen mutato de te id dicitur auare,
Qui, quasi non habeas, non frueris quod habes.

COMMENTARI I.

I. IN fumido flumine Acheronte rex Tantalus humerorū tenus immerfus appareret, cuius capiti superim pender fructifera pomus; ipse verò ore hiante frustra fructū caprat. Magis placet pictura Rouilliana, ibi enim Tantalus mentum aquæ effugienti immergit, & brachia ad fructus impendentes frustra extendit, adeo ut cibo, & potu simul frustreretur.

II. EST auari hominis εικὼν, sumpta ex Petronio Arbitro & Horatio, verbis quibusdam tantum mutatis. Ille enim ita in Satyrico:

Nec bibit inter aquas, nec poma fugacia
bitro, & carpit

Horatio. Tantalus infelix, quæ sua vota premunt.
Diuitis hac magni facies erit, omnia late
Qui tenet, & sicco conecquit ore famem.
Hic vero i. Sermon. Satyra 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid vides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undiq; saccis
Indormis inhiams, & tanquã parcere sacris
Cogeris, aut pictis rãquam gaudere tabellis.
Et Cornelius Gallus:

Quid mihi diuitia; quarum si dempseris
usum,

Quamuis largus opti semper egenus ero.

Imò etiam poena est parvis incumbere rebus,

Quas cum possideas, est violare nefas.

Non aliter sitiens vicinus Tantalus undas

Captat, & appostis abstinet ora cibis.

Faustus Andrelinus in Distichis:

Semper eget, sitiens medijs cen Tantalus
undis.

Inter anhelatas pauper anarus opes.

Tantalus fabula. Tantalus Iouis ex Protenympha filius fuit (licet Lucianus in dialogo de Dipladibus ipsum Æthonis filium faciat) qui cum aliquando Deos conuiuio suscepisset, ut eorum diuinitatem experiretur, Pelopem filium membratim disceptum coctumque apposuit comedendum: illi verò cum exhoruissent cibum, non solum abstinuerunt, sed collectis in vni membris puerum in pristinam formam reducere. Tantalum

verò ad inferos detrusum perpetua fame sitique torquendum censuere, ut etiam in medijs epulis & aquis famelicus & siti encus cogatur languescere. Quod canit Horatius l. Odiss. his verbis:

κὴ μὴν Τάνταλον εἰσῶδον χαλεπ' ἀλγὴ
ἔχοντα.
ἰσαότ' ἐν λίμνῃ, ἥδ' ἐπὶ ποσὶ πλάζε γέ-
νειω.

εὐτο δὲ διψῶν, πίνει δ' ἐκ ἔχει ἑ-
λίδα;

ὄσαί κ' ἄρ' κῦψαι ὁ γέρον πίνει με-
ταίων;

Τοσά κ' ὕδωρ ἀπολίσκετ' ἀναβροχθίνῃ
ἀμφὶ δὲ ποσὶ

γῶα μιλαινα φάνεσκε, κατὰ ζήτασκε
δὲ δαίμων.

Διδρα δ' ὕψιπτήλα κατὰ κρῖδες χε-
καρπὸν.

ὄχνη κ' ῥοαί, κὴ μιλαι ἀγλαόκαρποι,
συκαὶ τε γλυκεραὶ, κὴ ἰλιάει πλεθόωσαι.

τῶν ὀπότ' ἰθύσει ὁ γέρον ἐπὶ χερσὶ μά-
σαδαι

τάσδ' ἀνεμος ρίπτασκε ποτὶ νηεα
σκίοεντα.

Tantalus hic vidi duos perferre labores:
Namq; erat in stagno mentum tangente,

sitig;

Affidue urgebat, potandi at nulla facultas.
Nā quoties in aquā defleuit labra, refugit.

Vnda leuis toties absorpta, ac terra videtur
Sub pedibus, rursusq; leuem Deus enocat

undam.

Hic sunt arborei factus, praestantia mala
Punica, sunt olea, sunt ficus, pomag; forma

Insigni, senis allecāt qua cuncta palatum
Sed quoties manibus tentat decerpere fru-

ctus;

Protinus hos vctus celeres in nubila portat.
Sanctius sic Latinitati reddidit:

Tantalus hic aderat duos sine fine dolores
Corde ferens, mento & contingens usq; pa-

ludem.

Et sities nullas poterat cōprehendere lymas.
Nam quoties haustris liquidarum optabat

aquarum,

Ha toties

*Ma toties fugiunt, & se tellure recondunt,
Nigra quo sub pedibus (Dij siccant) terra
manebat.*

*Atq; caput supra pendebant Punica mala,
Pomaeq; cū pyris, splendentes arbore fructus,
Et dulces ficus, factusq; viventis oliuae,
Quas miser esuriens si veller corpore, vltus
In sublime ferens nebulis condebat & um-
bris.*

Aliorum Alij ad inferos relegatum volunt, eiusque
opiniones capiti saxum impendere, cuius casum sem
de Tanta per extimescat, eaq; pena excruciat, quod
lo. Deorum liberalitate vsus sit intemperan-
tius, cum eorum interesset conuiuijs, &
nectar & ambrosiam suis aequalibus im-
peritiuisset; vt testatur Pindarus, Tzetzes,
& Didymus. Alij quod linguam habuerit
incontinentem, & Deorum secreta reucla-
uerit. Ouid. 2. Amor. Eleg. 2.

*Aspicis indicibus nexas per colla catenas,
Squallidus orba fide pectora carcer hēt.
Quarrit aquas in aquis, & poma fugacia
captat*

*Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.
Idem 2. de Arte:*

*Eximia est virtus, praestare silentia rebus;
At contra grauis est culpa, tacēda loqui.
Quam bene, quod frustra captatis arbore
pomis*

*Tantalus in media garrulus ariet aqua.
Vide Pindarum 1. Olymp. & adagia, Tan-
tali poena, Tantalus lapis. & Tantalus valen-
ta. vbi alias causas ex Athenæo & alijs de
poena Tantalus reperies. Clitophon apud Achillem
Stadium scriptorem veterem, lib. 2. loquens de amore
puerorum, quem Menelaus vehementiorem dixerat mulie-
bri: Quo pacto, ait, vehementior? An quia si-
mul atque apparuit, euanescebat, nec amanti
sui perfructu potestatem facit? sed Tan-
tali poculo similis videtur: Sæpè enim e-
tiam inter bibendum auolat, amansq; ni-
hil, quod hauriat, amplius inueniens, abire
cogitur; atq; etiam id, quod iam haustum
est, prius eripitur, quam qui bibit, exatu-
retur. &c. Apud eundem Achillem eleganter
detorquet fabulam Tantalus Mellite al-
loquens Clitophōtem, cuius Venerem pro-
uocare non poterat: Quamdiu, ait, eorum,
qui in aliquo sacrario cubant, morem imi-
tabimur? Largam tu quidem aquæ mihi
copiam offers: verum ne hauriam, veras.
Tantone tempore, vt propter fluium ledeam,
sitimq; explete non possim? Næ*

ego Tantalus mensa haud dissimilem tho-
rum sortita sum, &c. Lege Lucianum in
Dialogis mortuorum. Horat. 1. Epist. ad
Iulium Florum, Cicerois vltimum Para-
doxum, & Nat. Comit. Mytholog. lib. 6.
cap. 18.

MISER Tantalus] verè quidem, at spō
te miser. Tantalus, quasi *ταλάντατος*, id
est, *infelicissimus*. Plato in Cratylō. Apul.
libr. de Deo Socratis: solus Tantalus vice in
suis diuitijs inops, egens, pauper, non qui-
dem fluentium vllum fugitiuum captat,
& fallacis vnde scim, &c.

In medijs vndis] opibus & facultati-
bus, quæ sunt fluxæ caducæq; Hinc dis-
ctum puto verbum *abundare*, *redunda-
re*. &c.

Sitiens] Nunquam expletur cupidita-
tis sitis, proinde rectè cum hydropo com-
paratur auarus. Horat. 2. Carm. 2.

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.*

Lege eiusdem Satyræ 1. Ser. 1. Ouidius:
*Quæ plus sunt pota, plus sibiuntur aqua.
Sitas]* nunquam sedet, nec conquiescit.
Poma proxima] res partas, nummos in
aica.

Qui, quasi non habens, &c.] Citatur ex
D. Hieronymo vulgaticissimum illud, Tam
deest auaro quod habet, quam quod non
habet. *Marsupiorum ministrum.* i. *δούλο-
των βαλαντίων*, auarum hominem vocat
Eunapius Sardianus. talis describitur in
Aulularia Plauti Euclio, miserimus fe-
nex, amittendi metu sese perpetuo excra-
cians. Contrà laudatur à Theocrito Ptole-
maus Philadelphus, qui domi suæ non oc-
cultaret opes inutiles, vt formicæ solent,
quæ aurum penitus egestum in âtris asser-
uare memorantur, vt Solinus & alij qui-
dam tradūt. Huc Horatian. *Magnas inter
opes inops.* 3. Carm. 16.

F A B V L A M Tantalus in medijs vndis
sitiens torquet in auaros, qui habendi cu-
piditate excæcati etiã in hac vita suos pa-
truntur manes: vnde ijs quid mali optes,
nisi vt viuant diu? Macrobi Saturn. 1. Illos,
inquit, epulis æte ora positis excruciat fa-
me, & inedia tabescere, significat eos quos
magis magisque acquirendi desiderium co-
git, presentem copiam non videre, & in af-
fluentia inopes, egestatis mala in vbertate

III.

Tantalus
vnde dicitur
sitas.Auarus
compara-
tur hydro-
pico.

IV.

Auarorum
conditio.

patiuntur nescientes parta respicere, dum egent habendis. *χρημάτων δ' ὀρεΐς, ἢ μὴ ὀρεΐται κόρος, πλείους ἰσχύς πολλῶν χαλεπώτερη, μετ' ὅρας γὰρ ὀρεΐς μετ' ὄρας ἰσχύος τρωστὶ, αἰεβάρ Bion: id est: Cupiditas habendarum opum, nisi aliqua satiēte cohibeatur, extrema paupertas longe deterior est: maiores enim cupiditates egestatem quoq; maiorem arcesunt. Proinde si quem diuitem efficere uoles, (dicebat Epicurus) μὴ χεῖματα προσίθει, τῆς δ' ἐπιθυμίας ἀφαιεῖ, non est quod opes augeas, sed tollas cupiditatem. Referam huc Maximi Tyrii Platonici uerba ex oratione 25. Quid, obsecro, continua hominum cupiditate egentius? Vbi enim semel animus supra quam necessarius exigit usus, uoluntatibus indulserit, priorem continuo fastidit, nouarum cupiditate detinetur. Et hoc est quod Tantalū significat anigma, continuam uidelicet uoluptuarij sitim, ut cum oblectationum interdum latices affluant, recedant interdum, propterea cupiditatum refluxus excitetur; quibus tamen cupiditatibus infestissimus dolor, metus ac perturbatio permixta sint. Nam quidā homines timere peius solent, quā ne praesens uoluptas elabatur? Graeca si quis malit, haec sunt: τί γὰρ ἂν ἐν πενίτερον ἀνδρὸς ἐπιθυμοῦν τὸς δινηκεῖς; ἰτειδὴν γὰρ ἀπαξ ψυχῆ γέσθηται ἡδονῶν ὑπὲρ τὴν αὐτῆς χεῖρας, κόρος αὐτῆν προτέρων ἔχει, καὶ ἰτέρων ἴσθ'. καὶ τὸ τὲ ταυτάλη ἀνιγμῶν, τὸ τοῦ ἴν ἀρα, δὲ ψα δινηκεῖς ἀνδρὸς οἰληδόνου, καὶ ἡδονῆς νάματα προσίοντα καὶ ἀπιόντα αὐδῆς, καὶ παλιρροία ἐπιθυμιῶν, καὶ λυπαὶ πικραὶ ταύτους ἀνα κερὰ μιναι, καὶ παραχθῆ, καὶ εὐβοί. φοβερόν μιν γὰρ παρῶσα ἢ ἡδονῆ μὴ ἀπελθῆ. Id quoque quod supra diximus, eos nimirum, qui suis cupiditatibus obsecudant, suos in hac uita pati manes, cōfirmat Lucretius lib. 3. Atq; ea nimirum quacumq; Acheronte profundo Proditā sunt esse, in uita sunt omnia nobis: Nec miser impendens magnum timet acre saxum Tantalus, ut sama est, cassa formidare torpens; Sed magis in uita, Diuū metus urget inanis Mortales, casumq; timent, quem cuiq; ferat fors; Nec Tityum uolucres ineunt Acheronte inuentem*

Max. Tyrii locus.

Sed Tityus nobis hic est, in amora iacentem quem uolucres lacerant, atq; exest anxius angor.

Aut alia quauis scindunt torpedine cura? Hæc iste ad Epicuri sensum, sicuti & Tullius 1. schola Tuscul. sub persona cuiusdā Epicurei. Nam & sunt, qui huc putent pertinere descriptionem inætorum apud Platonem & Virgilium lib. 6. Æneid. Cupiditas ergo est illa auri sacra fames: cupiditas est ille Tityi uultur: cupiditas habendi est, quæ bufones nutrit in mediis visceribus pingues & ventrosos, nec saturat tamē & placat famelicos, in uentriculo enim scoria malla inhæret de fusilli arguro, & grandescit continuo, nec cibos admittit alios: & quamquam radit, rapit, trahit, clepit, furatur, piscatur, emungit, exhaurit, euacuat, spoliat, assidua tamen fame torquetur. Est enim auaro hoc proprium, ut semper sit inops, & cutis inanibus perpetuò vexetur, testante Horatio: Semper auarus eget. Cuius miseriam, ingenium, & absurdos mores pluribus describit lib. 1. & 2. Serm. & nos Emblem. proximo depingemus: longē autem elegantissimē Lucianus in Timone. Deniq; ut uult Publius in mimis, & Seneca varijs in locis: Inopie parua defunt, auaritie omnia. Luxurie defunt multa, auaritie omnia. In nullum auarus bonus, in se autem pessimus; ipseq; miserie est cause suæ: tam enim illi deest quod habet, quā quod non habet. Et quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat. Insanus medio flumine quarit aquas. Is nisi cum moritur, nihil rectē facit. Auaritie portō immanem belluam, turpem effectum, & fallacem sectam tam Latini quam Græci scriptores passim detestantur & execrantur misericordē, ut multis etiam Iuuenalis Sat. 14. Auaritie currum pulchrē describit D. Bernardus super Cant. Serm. 38. Auaritia, inquit, rotis uehitur quatuor uirtiorum, quæ sunt Pusillanimitas, Inhumanitas, Contemptus Dei, Mortis obliuio. Porro iumēta trahentia, Tenacitas & Rapacitas: & his vnus auriga ambobus praesidet, Ardor habendi. Sola quidem auaritia, quia conducere plures non parit, vno contenta est seruictore. Rectē Apollodorus: Ἀλλὰ θεδὸν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν Εἰρηκας ἰν οἰλαργυρία γὰρ πάντ' ἐνι. Id nempe dicit, omnium quod est caput Malorum, auaritiam mihi cum nominas. Pertinet

Cupiditas habendi idea.

Auaritia detestatio.

Auaritia curtus.

Avaritia Pertinet huc illud Pauli Apostoli: *ἡ γὰρ ραδίς ἐστὶν πάντων τῶν κακῶν ἵσθιν ἢ εἰλαργυρία.* id est: Radix enim omnium malorum est avaritia. Sed & Bion hanc appellavit, *κακία μητρόπολις.* id est: vitiorum metropolis.

Quibus & addendum Timonis dictum, duo malorum esse elementa, *ἀπληστία καὶ φιλοδοξία.* id est: inexplebilem divitiarum aviditatem, & glorie appetitionem. Sed de hac in sequenti latius.

In avaros.

EMBLEMA LXXXVI.



SEPTITIVS populos inter ditissimus omnes,
 Arua senex nullus quo magis ampla tenet;
 Defraudans geniumq; suum, mensaq; paratas,
 Nil prater betas duraq; rapa vorat.
 Cui similem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
 Anne asino? sic est: instar hic eius habet.
 Namque asinus dorso pretiosa obsonia gestat,
 Seq; rubo, aut dura carice pauper alit.